ORATIO IN FUNERE JOANNIS COI SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS ET IN...

Giambattista Svegliato



ORATIO

IN FUNERE

JOANNIS COI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS

ET

IN SEMINARIO PATAVINO RECTORIS EMERITI

HABITA

IN TEMPLO EJUSDEM SEMINARII

IDIB. JANUAR. ANN. MDCCCXXIV.

A

JOANNE BAPTISTA SVEGLIATO

IBIDEM GRAECAE ET LATINAE LITTERATURAE PROFESSORE

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXIV.

MODESTO FARINA

EPISCOPO PATAVINO

EQUITI CORONAE FERREAE ET A CONSILIIS AUGUSTI

ANDREAS COI

F.

Orationem, quam paucis abhinc diebus JOANNES BAPTISTA SVEGLIATO *cum omnium assensu habuit in funere* JOANNIS COI, *nunc Tibi*, PRAESUL *amplissime, mei tamquam obsequii et observantiae pignus exhibeo: sic enim non modo debitum pietatis officium persolvo Seni optimo, mihique necessitudine et cognatione dulcissimo, verum etiam plurimorum votis satisfacio, qui hujusce Viri me-*

Quum nostrorum interitus semper acerbus et gravis esse solet nobis, qui efferendi relinquimur, tum eorum profecto gravior ac luctuosior, quorum fuerit ingenium a reliquis magis distinctum, et ratio vitae admirabilior effulserit. His enimvero exstinctis luminibus vix ulla videtur spes reliqua esse similis fortunae et gloriae recuperandae. Quibus igitur lacrymis, qua lamentatione et animi dolore prosequemur hodierno die ereptum nobis decus antiquae virtutis, obscuratum familiae ornamentum, sublatum exemplum praeclare factorum, Joannem, inquam, Coi, patrem dulcissimum, cui modo tristes ac sordidati parentalia persolvimus? Licet enim duobus abhinc annis hunc virum aetate jam collapsa et hebetatis mentis viribus (1) prope amiserimus, nobis tamen superiores annos paulisper memoria repetentibus quae non oboritur oculis lux? quis splendor vitae? quae et quam insolens copia meritorum? Ut tum admonemur, ingentem nos fecisse jacturam, et plurimum amisisse pristinae dignitatis! ac tali tempore amisisse, quo ejus occasus esse debeat nobis vel funestissimus. An non enim obversantur oculis adhuc squalentes et mutae illorum exuviae, qui consociato quasi lumine nostram hanc sedem paulo ante tam illustrem tamque gloriosam facie-

bant? Non Joannis Baptistae Baronii, non Valentini Chilesottii, non Joannis Costae, non Joannis Baptistae Fabris pectus adhuc effodit intempestivum funus et luctuosissima recordatio (2)? O magnum atque intolerandum dolorem! o gravem nostram acerbamque fortunam!

Agite, juvenes optimi, commilitones egregii mei; quod unum restat de tanto viro, commemoremus insignes ejus virtutes, et singularem in duplici vitae cursu tum publicae, tum privatae hominem contemplemur. Illud fortasse continget, ut ex ejus laudatione nobiliores aliquae quasi favillae excitentur antiqui moris, et aemulus ardor validius vestros animos ad gloriam inflammet.

I.

Priusquam de hoc homine dico, video, Auditores, statuendum esse, cujus mihi ingenium singulare videatur. Neque enim ego illud hoc nomine appellaverim, quod habet communem cum ceteris vitae modum, et alicujus tantum scientiae laude clarescit, vel ea tantum, quam suscepit, rerum agendarum ratione commendatur; sed singularibus ingeniis adsciverim illud, cujus tanta vis ac nobilitas, ut praeter aliorum consuetudinem nullis terminans regionibus curriculum gloriae, pluribus eodem tempore disciplinis, ac dissimilibus negotiis praeclare expediendis par sit, quod a vulgaribus abhorreat, nihilque prospiciat, nisi quod altum et novum, nihil secum versetur ac moliatur, nisi quod dignum senserit suis viribus et posteritatis memoria.

Atque ejusmodi quidem ingenii vim divino munere sortitus quum esset Joannes Coi, eamdem ipse excoluit solertia mirabili, et valde conspicuis ab adolescentia primordiis. Nactus enim magistros bonarum litterarum primo

quidem in Castri Franci collegio, deinde Patavii hoc ipso in loco clarissimos, nimirum Cognolatos, Facciolos, ipsum Cesarottium, quantum his ducibus jam tum explicavit ingenitae virtutis, quantum hausit et expressit nobilioris doctrinae! Aequalium suorum concessit nemini palma commendatioribus saepe praerepta; et quum adversa impediretur valetudine, quominus publice inter Seminarii alumnos aleretur, theologicam scientiam, totius ecclesiasticae institutionis princeps fundamentum, privatim doceri voluit ab gravissimo Trivellato, cujus lucida disciplina adeo profecit, ut annum vix natus quartum et vicesimum sacro Theologorum Collegio adscribi meruerit.

Qua laude honestatus atque auctus, ut illustribus stipendiis exerceret sese, et ad metam, quam eminente animo non vulgarem praeceperat, utili gloria contenderet, domi suae, quamvis paternis fortunis commode instructus, ludum illico aperuit nobilibus praesertim adolescentibus hujus civitatis nobilissimae; in quo munere ipso quid non inusitatum et splendidum tanto ludimagistro? Illud celebratissimum et saepe testatum voce et scriptis suorum discipulorum (3), quod quum liviana facundia delectaretur facundissimus ipse, fere quotidie sub finem scholae Quiritium illustria facta enarrare consueverat, velut ad solatium laboris, tanta corporis dignitate, tam suavi vocis sono et vivido igne oculorum, ut, quasi rem ipsam gerere videretur, penderent narrantis ore adolescentuli, gliscerent, permiscerentur, in lacrymas modo, modo in plausus erumperent, et dum inexplebili voluptate romanam animis penitus mandabant historiam, majore in dies studio et observantia cogerentur prosequi tam egregium doctorem. Et vero Cor nomen in omnium jam ore versari, ubique praedicari mira ingenii dexteritas ad excogitandum acuti,

in judicando solertissimi, in exponendo uberrimi, in explicando nitidissimi; ut propterea Patres sacri Collegii communi suffragio unum elegerint, qui Nicolao Antonio Justiniano ad Sedem episcopalem patavinam a veronensi provecto orator commendatissimus gratularetur. Magnus honor, nisi ille longe maximus, inter Socios adscribi agrariae Academiae patavinae, in ipso autem ortu recentioris hujus florentissimae inter lectissimos XII. referri cooptatione praecipua, totius demum civitatis judicio, maxime vero Triumvirum rei litterariae studio ac voto dignum existimari, qui ad aliquam in magni Lycei luce scientiam profitendam designaretur omnium amplitudini paene par.

Porro, cetera ut omittam, ecquis non maxime suspiciendum, neque fere pariter ad omnia natum putaret hominem, qui licet studiis praecipue addictus humaniorum litterarum, ausus erat moliri opus de cursu nostrorum fluminum corrigendo, atque hoc consilio ceteroquin tam alieno, tam arduo varias ac diversas peregrinationes suscipere, agri veronensis, policiniensis, patavini fluvios, torrentes, rivos quoque singulos suis ipse oculis invisere, explorare fontes, latebras, ostia, omnium metiri itinera, altitudinem, celeritatem, et ex infinito prope delectu animadversionum suarum volumen conficere et typis vulgare, in quo desiderare quidem possint strictiorem et magis reconditam calculorum doctrinam hydraulici, mathematici, lucem, commodum, veritatem desiderare nemo possit (4)? Admiratione tanti viri permotus ipse etiam patavinus Antistes, judex aequissimus, quum nostrae huic sedi novus praeficiendus esset moderator et dux, illum statim censuit praeficiendum, qui jam hic exemplo majorum didicerat fieri magnus. Quo in officio et munere ecquis neget,

illum pro judicio Pontificis vere se admirabilem praestitisse?

Nostra haec sedes Institutoris sui tutela et auspicio magna et illustris ab ipso ortu suo retinuerat quidem nativam dignitatem et famam, auxerat etiam; et Facciolati auctoritas, Forcellini doctrina, eruditio Sandini, Zanolini gravitas, Lastesii mascula eloquutio, theologica Trivellati peritia, nomina et scripta ceterorum egregia, praeclara, commendatissima tantum eidem pepererant celebritatis et laudis, ut nihil superaddi posse videretur. Cura autem et industria omnium, qui eatenus praefuerant, moderatorum adeo florebat ac provehebatur in majus, ut adaugendae rei nostrae vix ullus relictus esset locus, et exclusa prope omnis ratio veteris conservandae. Et tamen quibus ille et quam insignibus monumentis honestavit cumulavitque! Quibus quasi signis cursum regiminis sui late conspicuum fecit ad perennitatem memoriae! Nostis, statim ab eo alumnorum numerum undecumque confluentium auctum fuisse, ejus fama et industria huc convenisse ad hauriendam doctrinam moresque excolendos ab Asiae usque sinu, et illyricis oris complures, etiam nonnullos ex flore lectissimo hispanae juventutis, principes quoque polonos et gallos, omnium vero civitatum nostrarum vel praestantissimos genere ac fortunis; hospitium ad eosdem excipiendos magis amplum et idoneum ab eo quam citissime fuisse apparatum, aedium nostrarum non minimam partem a fundamentis erectam. Omitto novum Collegium, quod ipse venetorum patriciorum filiis liberaliter instituendis ab Clericorum communione sejunctum patefecit: trestense (5) praetereo, quondam percelebre et splendidum, quod idem ipse ad autumnale otium et requietem juventutis sapienti consilio tuendum curavit. Ille phy-

sicis disciplinis utilius tradendis satis commodum machinarum delectum primus conquisivit, primus gallicam linguam gallorum hominum ore, orientales Simonis Assemanii (6) antiqua peritia et nativo prope cultu Seminarienses doceri voluit; architectonices autem scientia voluit erudiri per experientissimum Albertolli, e cujus disciplina et ludo tametsi nemo alius prodiisset praeter Antonium Diedo, ejusdem nunc artis in patria sua nobilissimum sidus, an non ex hoc uno habenda Joanni nostro gratia immortalis? Quid quod, agente illo apud liberalissimum Praesulem, quingentorum voluminum supra septena millia invectum Seminario munus tantum, quo uno Barbadici munificentia imitata, ceterorum superata diceretur? Cui vero referenda alii instituta hic primum schola, unde Seminarienses ornate quidem dicendi laude praestantes, ornate quoque scribendi se arte pulcherrima commendarent? Cui altera luculentior etiam et gravior, qua vel expleto humaniorum litterarum curriculo, graduque facto ad scientias, graecis exercerentur quotidie; et quum Demosthenis facundia principe, tum ubertate Chrysostomi, quem maxime adamabat, et vivido Basilii robore, patriis quasi pabulis, alerentur? Illo moderatore atque auspice iterum commissae typis Regulae gregorianae, aureus codex et ipsius judicio divinus; insolens spectaculis nostris scenicis adjectum decus; nova praeceptoribus commoda, novi honores adjuncti ad incitamentum et praemium virtutis. Auspice, ut omnia perstringam, illo et duce hinc diffundi cujuslibet scientiae fontes, graecam linguam suos sibi tueri sacerdotes, latinam triumphos, lyceis educari magistros, templis antistites, principes magistratibus, cuncta augeri, instingui, condecorari, foveri late semina paternarum virtutum, et Joannis umbra, seu potius radiis ardentibus maturescere

segetem laudum earum, cui nulla umquam allatura sit finem aetas.

Jam ita se gerebat in omnibus vir mirabilis, ut his stupescere nemo debeat. Etenim curabat in primis, non jam ut dignitas moribus, sed ut mores dignitati fidem adstruerent et auctoritatem. Parcus cibi potusque, patiens algoris, vigiliae, laborum, modestus, integer praeclarum illud Magni Gregorii se probe tenere declarabat: *Sit rector operatione praecipuus .... Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat* (7). Sive moneret, sive laudaret, in omnibus singularis. Monentem non inornata severitas et frons contracta, sed paterna caritas et liberalis facundia; laudantem non indulgentia mollior, sed gravitas quaedam festivo lepore suo quasi condita comitabatur. Erat conservandae promovendaeque disciplinae ac pietatis maxime studiosus, maxime intentus valetudini singulorum, in moderandis etiam difficiliorum animis per quam callidus et solers, tum in concordia stabiliendis summe efficax et, paene dixerim, unice factus. Hinc illa in hoc viro singularia fuerunt, modo ipsos allicere serenitate oris et lenitate ingenii suavissima, modo observantissimos facere vultu ad dignitatem composito, gravi incessu, asperiore et concitato sermone; aliquando accommodare se alacriter omnium sententiae ac votis, aliquando omnibus imponere auctoritatis denuntiatione et non exorabilis voluntatis; semper ita versare naturam suam ac temperare in omnibus, ut ab alumnis amorem, a praeceptoribus obsequium, a domesticis reverentiam sibi facile conciliaret. Quid praedicem ejus in dicendo dexteritatem tantam, tantam suavitatem, ut ubi alumnos suos alloqueretur vel ex tempore, non modo commoveret eorum animos, sed saluberrimas

lacrymas saepe etiam exprimeret? Quid dicam, familiarissimum illi atque obvium fuisse, de instantibus verissime judicare, callidissime conjicere de futuris, dissimulare ad tempus, torquere ac flectere aliorum mentes peracuto et artis pleno sermone, in trepidatione ac tumultu ceterorum unum se invictum animi et opportunissimi consilii compotem exhibere? Mirabilia enimvero haec sunt, neque certo certius communia pluribus; tamen propria esse debent hujusmodi officii et muneris. Dicam ergo, quae unice propria hominis, quae maxime rara, quae plane sua.

Quotusquisque alius, quum tanta suis humeris incumberet moles rerum, non sibi abscedendum a litterario curriculo, nec sibi interceptum putasset illum aditum laudis? At vero Coi eo ingenio, quod par esset dissimilibus quibuscumque et magnis, probe intelligens, moderatorem litterarii domicilii, cujusmodi esset Seminarium patavinum, nihil magis decere, quam et ipsum litterarum cultu notitiaque praecellere, omni ope semper annisus est, ut hanc ipse quoque gloriam adeptus, eamdem Seminario communicaret. Atque hac enimvero mente utriusque linguae, etruscae, inquam, et romanae elucubravit Grammaticam illam perspicuitate ac brevitate sua ita commendatam magistris, ita discentibus commodam, ut quinquies recusa typis nunc frustra passim conquiratur. Hoc consilio selecta quaedam Epitecti Monita in italicum sermonem conversa (8) posteritati mandavit, aureum utrumque opus; per quam vero accurate confecit, et in publico Regiae Academiae coetu coram amplissimo Antistite patavino, et veneto Viro excellentissimo suam illam Dissertationem habuit de tribus linguis, graeca, latina et etrusca, cui parem nemo alius habere potuisse dictus fuerit, quam Coi. Nihil vero praeterea potius habuit, quam ut praelorum

nostrorum opinionem ac dignitatem retineret augeretque, si posset, editis operibus quum optimae notae, tum multae etiam celebritatis: ac si gallicae Encyclopaediae temperantius recudendae propositum et inceptum ex ejus una mente profectum, ejus potissimum cura, opere, industria evigilatum, ejus potissimum fidei integritatique commissum, tantum complementi et laudis non potuit referre, quantum ille pollicitus sibi fortasse fuerat, et jure optimo poterat polliceri; illud profecto est assequutus, quod primum intenderat animo, nimirum ut nemo typographorum alius tota Italia auderet iterum educere in lucem opus perinsigne quidem et magnum, sed in quo bona et illustria pravis ac tenebrosis exaequarentur. Uno verbo, quod mirum, quod incredibile, praesertim in tam difficili ac laborioso tot hominum, tot ingeniorum regimine, in tanta administratione rerum, quarum totum hominem singulae expostulent, Joannes Coi voluit et potuit apprime doctus et litteratus esse ac videri. Porro litteratissimum ac doctissimum se probavit Tiraboschio, Toaldo, Spalanzano, Deninae, Assemanio, Cognolato, luminibus ceteris italae litteraturae, quibus innotuit aut fama scriptorum, aut argutissima et humanissima, quae sua fuit, communione epistolarum (9). Se commendavit artis typographicae principi ac magistro, parmensi Bodonio, qui verbis ultro citroque habitis maxime admiratus est praesens Seminarii moderatorem; missis postea litteris honorificentissimis gratulatus est ei tantam exquisitissimae artis notitiam, tantam optimi sagacitatem judicii (10). Multo fuit in pretio et honore apud causarum patronos et oratores excellentissimos, quibus quum quid agendum pro Seminario obveniret, et orata lite decernendum, rem ipse suopte marte sic exaratam digestamque suppeditare consueverat, ut vel exper-

tissimorum jureconsultorum acrior industria nihil accommodatius ac splendidius exsequi posset. Magni habitus ab hospitibus conspicuis, virisque principibus necopinato invisentibus nostram domum, quos ille tam nobili humanitatis officio, tanta amoenitate sermonis, tanta admirabilitate doctrinae excipiebat et alloquebatur, quae una satis esset Seminario clarando. Magni a civibus et magistratibus .... Sed eo deveni, Auditores, ubi mihi necesse sit eloquentem videri.

Nimirum Coi procuratio inciderat in dura tempora: in eam videlicet tempestatem, quum nescio quae fatalis et misera innovandae societatis et libertatis integrandae vecordia passim evertebat instituta majorum, legum sanctitatem, studiorum disciplinam nostrorum, linguae nempe graecae et latinae veterem cultum. Meministis jam, fere nulla per totam Italiam tum fuisse domicilia litterarum sive publica, sive privata, sive sacra, sive profana, quae non aut armorum terrore, aut licentia militum, aut insolentia victoriae, aut paucorum avaritia et corruptela suis excussa cardinibus ruerint, aut saltem plurimum dehonestamenti passa sint, plurimum calamitatis. Hisce quoque parietibus, huic quoque pervetustae arci omnium doctrinarum communis procella suas illatura clades circumfremuerat. Quid moderator, quid dux? Voce et scriptis (11) pro domus incolumitate pugnare, atque iis scriptis pugnare, quae splendore verborum, quae lumine veritatis, quae pondere argumentorum tuerentur nostra, nec tuerentur modo, sed et in communi ruina novis adscitis reditibus, nova laudum segete comparata, augerent, honestarent, tropaeum parerent Seminario patavino opimum et splendidum ad memoriam hominum sempiternam. Hunc ego virum, hunc servatorem, hunc alterum quasi patrem

non diligam, non singularem praedicem, non exstinctum filiorum pietate et lacrymis decorandum putem?

Habebis certe meas, Anima illustris, siveris modo, ut, quoniam in luce ac pulvere hactenus te triumphali veluti curru eminentem deduxi ad spectaculum, privatae quoque vitae ratione, in otio atque umbris singularem te praebuisse brevius ostendam ad exemplum et solatium tuorum.

II.

Ingenuam hominis imaginem et peculiarem naturam non aliunde peti et argui posse certiorem existimo, quam ex ejusdem domesticis moribus et umbratili quasi palaestra vitae. Publica in luce versantem, admirabilis ut quis compareat ac singularis, adjuvat saepe conditio temporum, loci splendor, majorum labores, inferiorum praesidia, multae clientelae, opinio, fortuna. Nec vero apertius quisquam, ipse qui fuerit, prodere solet, quam quum exutus splendore dignitatis, et in otio privato quasi delitescens liberius indulget sibi et naturae. Licet itaque haec altera ejus vitae conditio minus fortassis admirabilitatis prae se ferat, certe ex eo probabilior et gratior vobis accidat necesse est, quod Joannem Coi hominem plane diversum a ceteris fuisse pervincat. Porro quid insolentius quotidianis ejus moribus et rerum humanarum judiciis? Vereor, ne nimis levia persequi videar iis, qui hominem minus noverint; iis tamen, qui funditus norunt, et experti sunt quantum etiam in obviis et usitatis a communi differret, non dubito quin parcius nonnulla attigisse videar, quasique praetervolans. Sed eloquentiae si deero, indoli ejus et veritati me non defuturum confido.

Qui valetudinis imbecillitatem jam a puero sustentare

ac firmare didicerat potissimum abstinentia, eam sic semper servavit, ut et vilioribus cibis maxime delectaretur, et nonnumquam identidem coenitaret, et dies saepe solidos perduceret jejunus. Vino modice utebatur, simplicis ut plurimum aquae potione contentus, quam cum vate *optimam* praedicabat. Nemo obstinatior illo in perferendis, quando opus esset, nocturnis aut antelucanis vigiliis, quibus ipsis fieri videbatur alacrior, tametsi sedili persaepe, semper humili lectulo inornatoque cubare consuevisset. Elegantem cultum, quem minime tamen reprehendebat in aliis, ipse sic obliviscebatur, ut qui sua illum zothecula, aut turri perveteri sua (12) conclusum adiisset, ex Diogenis schola prodiisse diceret eum ipsum, quem alias Platonis nobilissimo ludo altum et institutum putasset. Fuit etiam illud, fuit in eo singulare, quod medicae arti aliquanto durior et infensior ejusdem opibus uti constantissime recusavit, qui quidem ex lectione Hippocratis et Celsi, magis vero ex notatione propriae naturae ita se munierat contra morbos, ut bis implicitus, dum peritissimi consulerent ac trepidarent, ipse paulo post integris prodigialiter viribus pedem cubiculo extulerit. Nimirum nihil studebat magis quam quotidianis deambulationibus et longis prope excursibus exercere sese, quin ulla deterreretur adversa tempestate; numquam laetior, quam quum importunissimis horis graviora incommoda provocavisset. Et quoniam mitissimus Cato voluptatibus agricolarum incredibiliter delectabatur, putabatque camporum solitudini non magis Dianam, quam Minervam inerrare; vel octogenarius in sole atque imbri solebat pedibus contendere ad rusticanum praediolum suum unius fere diei iter ab urbe dissitum (13), nescio utrum se magis, an agricolas solaturus. Quippe erat cum omnibus suavissimi ingenii

et humanissimi officii, at vero cum agricolis et pueris etiam supra quam credibile est. Nerium imitatus pueros ad se cogere, amantissime detinere, hortari, docere, et, ut libentius accederent, munusculis etiam, quibus maxime ducitur innocens aetas, ab se meliores alacrioresque dimittere. Ut autem se gerebat in communi convictu et sermone! Urbani ejus lepores et suis semper floribus conspersae sententiae (14) exhilarabant singulos; et ita temperabat vel communia et parva, ut nescio quid admirabilis et magni ab eo uno sumere viderentur. Invidiae et obtrectationis, quae pessimum sunt venenum circulorum, plane expers, amicus autem modestiae neque summis mortalium spernendae, vitia magis suorum, quam laudes dissimulabat, secum illud repetens: *Neminem alterius, qui suae confideret, virtuti invidere* (15). Quam temporibus sciebat uti sapienter! Experientia fretus et meditata illa sua per tot annos ratione adversus quaeque ingruentia, parum affici videbatur ludibriis rerum humanarum, immo saepe easdem veluti infra se despiciebat, solitus nihilo tamen excuti et tangi penitus, quum aut salus publica, aut Seminarii gloria ageretur. Ceterum fidem in Principes, observantiam in aequales, amicitiam in omnes, praecipua animi bona, sic semper retinuit, ut tardam senectutem anteactae vitae honestis solatiis facillime toleraret.

Quamquam quid ego utor simplici ac temperata oratione ingressus dicere de virtutibus ejus, cui nulla possit par oratio inveniri? Egone, qui litterati, praesidis, civis laudes et mores genere dicendi concitato et gravi illustrare conatus sum, nunc christiani hominis, et sacerdotis verendi singulares incredibilesque virtutes hoc in templo, hisce auditoribus, in tanta luctus significatio-

ne, tanto religionis apparatu, non voce triumphali et excellentioribus eloquentiae luminibus illustrandas curem? An non mihi timendum, ne vel ex muto illo feretro me vox indignabunda redarguat venerabilis viri, cui nihil antiquius et gravius, quam suo ministerio dignus esse et haberi?

Ecquis illo (testor ego vos, qui jam nostis, quique diutissime usi estis ejus familiaritate et fide) ecquis, inquam, illo magis invictum a cupiditatibus animum prae se tulit, et rigidiore vitae innocentia praecelluit, quem *ambulantem* coram Domino *in via immaculata* (16) ne suspicio quidem audaciorum, aut rumor insanus attigerit? Quis christianae aequabilitatis ac patientiae eo studiosior, qui etsi natura praefervidus et rerum plurimarum circumsessus fastidio, neminem umquam offenderit vel lacessitus, beneficium etiam reposuerit? Cui magis amica veritas, quam huic, qui tueri non dubitaverit vel cum periculo offensionis, detractoque velamine eamdem omni luce sua praefulgentem in conspectum potentiorum deducere? Quis verecundior et temperatior vel inter maxima incitamenta ambitionis et in secura conscientia praeclare factorum? Quis in summa solitudine et vacuitate quorumlibet commodorum ab omni querela et sollicitudine remotior? Extrema ipsa in acerbis et asperis anne aliquis toleravit pari altitudine animi et aequiore constantia? Memorari saepe audistis, qua virtute, qua mente matris dulcissimae verba ultima et supremum spiritum exceperit (17). Ipsi vidistis quam generose ac fortiter steterit in jactura fratris, quem praestantem egregiis dotibus (18) mirifice diligebat. Pietatem vero ac religionem in Deum num testatam faceret luculentius, qui vel senio fractus, quotidie, non sine maximo incommodo, prope sub meridiem domo egredi consueverat ad sacra litanda, et non semel vi morbi decumbens hu-

mana praesidia omnia quum negligeret, divina toto pectore expetivit et recepit suavissimis lacrymis? Etiam ea, quae minoribus quasi theatris geruntur, etiam quae in vitae obscuritate et secessu, ubi plerumque fama impares sunt vel laudatissimi, summa in illo fuere et mira. Verum quod omnem cujusquam opinionem exsuperat, quod quamlibet excellit vim eloquentiae et laudum splendorem, est profecto unica ejus ac plane propria, quae hominem, magis etiam sacerdotem, ornat ac perficit, eximia ac singularis in pauperes liberalitas.

Ibit certe in saecula, fuisse ecclesiasticum virum liberalitate tanta, ut suis se opibus integra ac pertinaci voluntate spoliaret, omnem suam supellectilem in aliorum usus impenderet, miseris oppignerato pecunia domestico patrimonio ultro occurreret, laborantes periculosa inopia virgines dotibus auctis collocaret, moerorem viduarum, puerorum solitudinem, aegrotantium squalorem, luctum infelicium non modo oris ac sermonis suavissima lenitate, sed maxime largitione nummorum exaggerata, profusa humanissime solaretur. Memorabunt certe posteri, exstitisse Patavii sacerdotem, qui in summa annonae caritate, in suprema consternatione ruris et civitatis, dum sibi quisque optimus consulendum putaret, ipse quum jam auro non posset, suo quoque victu pallidos fame et enectos sustentarit, re domestica lapsos et pudibundos quaesierit summa cura, excitaverit pavore et horrore defixos, nudos ac trepidos propria veste contexerit, domi ejectos errantesque hospitali tecto mensaque recreaverit, numquam sibi visus beatior, quam quum rudibus et miseris esset opitulandum. Aeternum memorabit natalis villula sua, non tam clarata ejus nomine, quam testimoniis passim innumeris nobilitata eximiae pietatis. Memorabunt hi parietes, ara

illa, hi omnes praestantissimi juventutis duces ac doctores tam probati tibi et dulces, assueti tantopere, immortalis Anima, frui sapientia ac bonitate tua. Memorabit prae ceteris hic Nepos ad extremum usque spiritum proximus tibi cura, praesidio, amore et lacrymis (19). Memorabit hic Consobrinus illustris, idemque olim discipulus tuus, tibi semper carissimus, semper devinctissimus tibi egregia grati animi voluntate (20). Memorabo ego, pater dulcissime, et, quamdiu vita suppetet, recolam animo paternos amplexus, quibus fovisti puerum, tum signa caritatis perpetua, quibus trepidum exstimulasti ad gloriam; semper cum fletu et lacrymis prosequar desiderium tam cari capitis, semper cineribus tuis debitam pacis ac beatitatis mercedem suppliciter apprecabor.

ADNOTATIONES.

(1) Viguit corpore atque animo ad annum 85, sed vitae duobus postremis facultate reminiscendi ita privatus fuit, ut, nedum proximorum, sui quoque ipsius nescius videretur; tametsi fuerit memoriae amplissimae ac firmissimae, qui saepe obstupefaceret commemoratione remotissima rerum vel minimarum.

(2) De claritudine et virtutibus cumulatissimis tantorum virorum dixit pro sua sapientia vir spectatissimus Sebastianus Melan in Seminario patavino Studiorum Praefectus, nunc Ecclesiae Cathedralis Canonicus, et theologicae Facultatis in I. R. Universitate patavina Director. Vide *Orationes, quibus series eorum concluditur, qui adhuc Seminarii patavini nomen in suo quisque genere illustrarunt.* Patavii typis Seminarii 1821. in-8.°

(3) Memini saepe mihi narrasse mira de illo nobilissimum et gravissimum virum jam bonis ereptum Benedictum De-Trevisan, qui quum virtutibus omnibus praestaret, certe observantia et egregia in magistrum bonitate plane manifestum fecit, unde altus exiisset. Quae vero conscripsit auctor Hortensiae, ejusmodi sunt, ut nonnulla excerpi omnino debeant. *Cosa mai sono le istituzioni! Che è mai un precettore! Che più ancora il metodo di ammaestrare! Io per mia buona sorte, ch' è quanto dire, per aver io avuto sapientissimo padre, fui tratto alla scuola di egregio, dotto, magniloquente maestro GIOVANNI COI, dolce nome, nobile ingegno, cara eterna memoria! vivi, come or vivi, beato.* Inde persequitur ore rotundo peculiarem ejus instituendae juventutis rationem, atque ita concludit: *Ma dove il precettor grande ed eloquente oratore volea signoreggiar gli animi di noi giovanetti, si era ove appunto la virtù facea di se nobil pompa, il vizio negra e trista mostra di se. Che narrazioni e quali gesta eran quelle! Quell' erano altrettante auguste lezioni della più utile e sana morale. O precettori, o ginnasj, o licei, io v' invito ad imitare, a venerar il grand' uomo.* Vide *Ortensia, commedia di Antonio Simeone Sografi, tom. V. pag.* 139, 140. Padova tipogr. Bettoni 1815. in-8.°

(4) Sic inscriptum fuit ejusmodi opus: *Regolamento intorno ai fiumi del Veronese, Polesine e Padovano.* Padova nella Stamperia Conzatti 1777. in-4.° con fig.

(5) De institutione et fama hujus Collegii per hosce dies iterum florescentis auspice Antistite patavino, vide *Ferrari Opusculum de singulari studio et amore B. Gregorii Barbadici in Seminarium patavinum, cap. XIV.* Patavii typis Seminarii 1800., et 1820. in-8.°

(6) Notissimi hujus Professoris, quo aegrotante ac demortuo valde gloriosa fuit mihi perfunctio temporaria tradendae Hermeneutices biblicae veteris Foederis, ornatissimam laudationem funebrem habuit V. Id. April. ann. 1821, et publici juris fecit Prosdocimus Zabeo in I. R. Universitate patavina Professor clarissimus, ad cujus de Theologia pastorali lectiones repetendas in hoc Seminario meipsum honorifice jam destinavit pro sua humanitate Antistes memoratus Modestus Farina, adeo sollicitus de sacra Clericorum institutione.

(7) *Regulae pastoralis part. II. cap. III.* Parisiis sumptibus Claudii Rigaud 1705. in-fol.

(8) Haec versio habetur ad calcem libelli, cui titulus: *Doveri civili tratti da M. Giovanni Dalla Casa* (Padova nella Stamperia del Seminario 1795. in-8.°); ab ipso Joanne Coi concinnati, adjecta etiam *Cebetis Tabula* etruscis leporibus per Casp. Gozzium ornata, et praemissa praefatione sua aurei saporis et festivae elegantiae. Atque in aliis quidem libris occurrunt ejusdem praefationes venustissimae sane et ingeniosae.

(9) Satis mihi esse arbitror ad fidem conciliandam specimen ejus epistolae, quam sortitam ex pluribus lectori subjicio, quaeque ann. 1805. prope Calend. Mart. inscripta est cuidam illustri Archipresbytero, qui nuntiarat de immaturo fato adolescentuli probatissimi Cajetani Sartorio.

Rever. Sig.

Io ho letto prima rapidamente la sua lettera, e poi riletta posatamente a poco a poco, non senza lagrime di tenerezza, come avrà fatto Ella scrivendola. Noi l'abbiamo perduto, quando speravamo colla maggior sicurezza di doverlo riacquistare. Noi pregavamo giornalmente per la di lui salute, non obliando in mezzo alle nostre preghiere il maggior bene dell'anima sua, e la rassegnazione alla divina volontà; e Dio, quando parve che non accogliesse le nostre suppliche, seppe dare assai di più che noi non sapevamo dimandare. Noi contemplavamo questa salute bassa e terrena, e soggetta a mille turbamenti; e Dio, come possiamo sperare, gli ha donata l'eterna, invariabile e beata. Noi, per la nostra più lunga età, non possiamo più presentarci al divin tribunale così candidi e puri, come avrà fatto egli. Quando ricordo il momento, ch'è qui caduto infermo tra le mie braccia, e la sua puerile innocenza, quando scorro col pensiero gli anni che giacque infermo con rassegnazione e pazienza, tra gli esercizj innocenti e di pietà, quando leggo la di Lei lettera, e vedo i nove giorni, nei quali previde la sua morte vicina, la sua fermezza d'animo, la sua rassegnazione, i conforti che dava agli altri, i suoi pensieri, le premure caritatevoli, gli ajuti divini da lui richiesti, i sacerdoti che circondavano il suo letto, la sua faccia ridente, le immagini belle che se gli offrivano innanzi poco prima di spirare; io più non dubito che da questa terra quell'anima innocente non sia volata al cielo, ove spero pregherà per noi ... Non cesserò di far voti per esso, e mi saranno sempre care le cose che furono care a lui; amerò i suoi genitori, amerò le persone che mi ha raccomandate nelle sue ultime ore, e farò quanto posso per ora, e quello crederò che a lui fosse grato, se ancora vivesse tra noi. Perciò la prego farmi noto chi è quel Chierico, di cui prese cura, e che raccomandò con tanto impegno ec.

(10) Exhibeo sejunctim partem epistolae, quam misit ad Joannem nostrum Typographus pervulgatissimae famae VI. Kal. Nov. ann. 1790. *Aggiungerò, che la nitidissima epistola sua non forma tanto l' elogio mio, quanto il suo stesso di Lei, mentr' Ella recando giudizio delle cose vedute presso di me, ne parla con tanta cognizione e con tale aggiustatezza e proprietà di termini, che non solo si appalesa un vero conoscitore del bello, ma fin anche un Professore espertissimo dell' arte tipografica. Ciò stesso mi fa sorger nell' animo un impaziente desiderio di vedere qualche prodotto de' meditati tentativi, che non potrà certamente essere che felice, avendo Ella ottimo gusto e perspicace discernimento in questo genere.*

(11) Vide *Annali della libertà padovana, vol. II. pag.* 169. Padova 1797. in-8.°

(12) Ad urbanum solatium, sed multo magis ad pacatiorem meditationem animi pretio conduxit per plures annos eam turrim, opus carrariense, quae educta ad propugnaculum urbis qua vergit ad meridiem, imminet Medoaco subterlabenti; nunc ornamento est amoenissimis ac celebratissimis hortis, quos sibi et amicis colit Antonius Piazza liberalissimo sumptu et exquisitissima industria. De illa ita olim nobilis vates Pimbiolus ab Ingelfridis, heu! nobis ereptus, quos summe amabat: *È questa tranquillo ricovero di dotto ozio del sig. D. Giovanni Coi padovano, dei cui talenti, vera dottrina e segnalata benemerenza nel patrio Seminario parla non dubia la fama.* Vide *Pimbiolo opere, vol. III. pag.* 238. Padova tipogr. Bettoni 1813. in-8.°

(13) Villanova, quae est in agro patavino, Patavium inter et Castrum Francum, quo in oppido jamdudum floret celeberrima Academia litteratorum virorum.

(14) In hanc sententiam memineram superioribus annis italum Epigramma exercitationis gratia conscriptum ab egregio adolescentulo, nunc Juris utriusque Doctore et vate commendatissimo, Nicolao Tommaseo, quod mihi roganti quum amice legendum concesserit, et laudati viri floreum quoddam quasi sertum dici possit, puto, me gratum facturum pluribus, si hic ego illud adjunxero.

» *Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas* ».
Ovid. Fast. lib. V. v. 194.

Tu, che ove corron più puri e lucenti
D' Arno attingesti e d' Ippocrene ai rivi,
Che di colori sì leggiadri e vivi
Pingi, o Giovanni, *i tuoi soavi accenti;*
Sia che d' amici gai, da te pendenti,
Con l' accorto parlar le grazie avvivi,
Od aurei sensi in auree carte scrivi,
Ch' andran poi chiare alle venture genti.
Non io direi, che inchiostro o suon diffonda
La penna e il labbro, ma di fiori un nembo
Cresciuti al rezzo dell' aonia sponda.
Tutto per te s' abbella e si colora,
Quale a mezzo l' April di Tempe in grembo
Un bel giardin di rose in sull' aurora.

(15) *M. Tullius Cicero Philipp. X. cap.* 1., *Operum omnium tom. VI.* Patavii typis Seminarii 1753. in-4.°

(16) *Psal. C. v.* 6.

(17) Joannis mater fuit Elisabeth Trevisan de Castro Franco, lectissima femina, quae viro orbata quatuor liberorum sategit studio singulari. Decessit ann. 1798, aetatis 93.

(18) Marcus Antonius frater ejus obiit XVI. Cal. Maj. ann. 1820., suis plerisque bonis ex testamento in pios usus largiter erogatis. Fuit Medicus magni nominis, et per multos annos artem exercuit Bubulentae fortunate ac laudabiliter. Exstincto, funebri laudatione, quae tamen habita non fuit publice, caritatem et aestimationem suam testatam facere voluit Joannes Bozzato sacerdos venetus, vir eximius, et mihi puero litterarum per autumnale otium praeceptor, cujus immaturum funus acerbum omnibus numquam ego dolere desinam, gratus in virum optimum et de meipso praeclare meritum.

(19) Andreas Coi in exterioribus Seminarii nostri scholis prius Rhetorices praeceptor per annos 15., nunc vero Bibliothecae custos.

(20) Franciscus Trevisan medicinam in patria professus magna commendatione ingenii et avitae virtutis.

?!

[illegible]